

ipse per se, nec per submissam personam, nec aliquis pro eo, se sciente, pretium recepit; deinde Purgatores supra sancta Dei Evangelia jurabunt, quod ipsi credant, eum verum jurasse. Refert. c. 5. ibi.

57 Ut Purgatores mereantur fidem, oportet eis vitam, & conversationem, veluti rationem credulitatis, infamati esse perspectam. Ut autem idonei appareant, ait Alexander III. necesse est, ut ejus, quem purgare debent, vitam, & conversationem agnoscant. Refert. c. 7. de Purgat. Can. Si ergo de transacto crimine agitur, Compurgatores sint, qui conversationem, & vitam ipsius non tam moderno tempore noverunt, quam transacto, quia ratio testimonii ad tempus commisi criminis refertur. c. 10. ibi.

58 Sint ergo conjuratores, utpote quibus perspectior esse potest vita, & conversatio infamati, ejusdem ordinis, & status, ipsique talis honestatis, & opinionis laude, ut verosimile sit, eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecunie pejerare, ut loquitur Pontifex. c. 7. d. t. sive, quemadmodum alibi dicitur, fide sint Catholici, & vita probati. c. 10. eod.

59 Hodie tum in Curiis sæcularibus tum in Curiis ecclesiasticis nullus, aut perrarus est usus purgationis Canonice; cum fragilis, fallax, & incerta sit, eoquod ab hominum judicio dependeat. Et vero plerumque difficile, aut & aliquando impossibile foret, in tanto numero Compurgatores invenire. Placuit ergo vulgata regula, quod actore plene non probante, reus absolvatur. Nam in levioribus delictis ex tanta frequentia juramentorum vilescere videretur religio divini Numinis: & in majoribus delictis posset suboriri periculum perjuriorum.

* 60 Quid in morali doctrina superest terribilius, quam & levia Cleri delicta esse in rationibus divinæ justitiæ gravissima? Inter opera S. Cypriani hæc relucet sententia (a): Propter malignantium insolentiam altare suum Deus repellit, & sanctificationibus maledicit, odit sabbatha, abominatur solemnia, odora menta fœtent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit Deus, nec esse voluntatem suam in ministris impuris, indignatione districta testatur. Juxta S. Gregorium Naz. (b) Nobis (Clericis) hæc una virtutis lex, ne legitimis quidem, atque ab omnibus neglectis, succumbere vitiis. Inquit S. Ambrosius (c): Neque mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solum, ne gravioribus flagitiis sit

(a) Int. Op. S. Cypriani. serm. de C. Dom. (b) S. Greg. Naz. Orat. 3.
(c) S. Ambr. lib. 10. epist. 82.

sit affinis, sed ne minimis quidem. Ex sententia S. Chrysostomi (a) si ab omnibus abstinuerit, magnus est. Si autem vel levia peccaverit, nihil illi prodest sacerdotalis dignitas ejus. Quid disertius sententia S. Bernardi (b)? Inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore Sacerdotis blasphemie — consecrasti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. En Concilii Tridentini expressa monita (c): Levia, inquit, etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Audi denique & rationes S. Cyrilli (d): Opus est, qui ad munus adeo augustum proveci sunt, non ab iis modo vitiis, quæ aperte, manifesteque damnantur, sed etiam ab omni actione, cum qua vitii alicujus opinio, & existimatio parum honesta, & multarum suspicionum dedecus conjunctum est, abstinere.

TIT. X.

De Sententiis, & Executione.

CAP. I.

De Diversis Speciebus Sententiarum.

1 Per totum ordinem forensis processus multæ sunt partes Judicis. Hic enim decernit citationes, cogit testes, discernit instrumenta, reliquasque quæstiones, quæ vel incidunt, vel emergunt, sua auctoritate decidit. L. 14. ff. de re. judic.

2 Hæc Decreta Judicis jure novo passim sententiæ interlocutorie dicuntur, quia, suspensa causa principali, Judex mere interloquitur, decernendo ea, quæ necessaria videntur, ut principale negotium melius terminari queat.

3 Sententia interlocutoria duplex est. Una mere, & simpliciter interlocutoria dicitur: altera vim definitivæ habet; unde à sententia definitiva fere solo nomine, distat, eo quod articulum contingat, ex quo aut causæ principalis præjudicium pender, aut aliunde damnum irreparabile imminet. Cum enim hujusmodi sententia non per interim, seu provisorio modo, sed articulum illum, ex quo periculum causæ principalis, quod reparari nequit, dependet, absolute dirimat,

(a) S. Chrys. h om. 10. in Matth. c. 5. (b) S. Bern. de Consid. lib. 2. c. 13.
(c) Trid. sess. 22. cap. 1. (d) S. Cyrill. de Adorat. lib. 12.

mat, revera idem effectus est sententiæ interlocutoriæ, ac definitivæ. Arg. L. 2. ff. de Appel. Recip.

4 Expressit hanc differentiam Synodus Tridentina, vetando (a), ut neque appellationes, à sententiis Ordinariorum interpositæ, per Superiores quoscunque recipiantur; eorumve commissio, aut inhibitiō non fiat, nisi à definitiva, vel à sententiā vim definitivæ habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequit. Plurima exempla hujus sententiæ ex utroque ordine recensent Interpretes; veluti, si exceptoria fori, aut remissio causæ à Judice rejecta sit, si onus probandi incompetenter impositum (b), si testes illegitime repulsi, si instrumenta iadiscrite abjecta, si articuli veluti impertinentes, refutati, si juramentum vel supplementum, vel purgatorium temere amissum &c.

5 Inter sententias simpliciter interlocutorias, utpote quæ tantum jus faciunt ad interim, hodie frequentissima est sententiā provisoria. Provisio enim à Judice conceditur, ut ad interim præsentī necessitati consuli queat, donec plene de causa principali cognoscatur.

6 Talis est causa alimentationis respectu filii, portionis congruæ respectu Pastoris, cultus divini respectu Canonico- rum, residentiam negligentium. Rescripsit Alexander III. in Angliam, ut Episcopus pendente appellatione, per Canonicum residere recusantem interjecta, interim alicui honestæ personæ vice ejus in Ecclesia committeret, & ei de beneficiis illius assignaret, unde posset congrue sustentari. cap. 28. de Appellat.

7 Alio exemplo præcipit Pontifex, ut Monachis, qui pro utilitate Ecclesiæ suum Abbatem accusabant, de rebus Monasterii, cum proprium non habeant, expensæ necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, subministrantur. c. 11. de Accusat.

8 Sed his, aliisque casibus opus est, diserte exprimi, quod tantum per modum provisionis Judex eo procedat. Si enim Judex simplicem sententiā redderet, male faceret, quod ante plenam probationem quemquam condemnaret. Fit quippe condemnatio per provisionem, dummodo summarie appareat, & ideo exprimi debet.

9 Sæpe ad effectum provisionis sententiæ exigitur cautio. Juxta Ordinem Mechliniensem (c): Quibus in locis cognitio validitatis testamentorum, vel contractuum ante nuptialium,

(a) Trident. sess. 24. cap. 20. (b) Bohem. § 10.

(c) Ord. Mechli. tit. 13. art. 7.

ad Judicem ecclesiasticum spectat, si instrumentum manifestum vitium non continet, sed extrinsecus perfectum apparet, etiamsi falsum, irritum, ruptum, inofficiosum, nullumve esse dicatur, per provisionem effectum illud sortiri sub cautione debere declarabitur, salva allegatorum penitentiore inspectione, sive ex eo agat institutus ex asse hæres, sive ex parte.

10 En uberius officium Judicis! Judex, cum causam audire cœperit, litigatorum assertiones, vel responsiones patienter accipiat, & omnia plena discussione perquirat. Nec prius litigantibus sua sententiā definitiva velit obviare, nisi, quando ipsi peractis omnibus, jam nihil amplius in contentione habuerint, quod proponant: & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniat. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermisum fortasse maneat; quia, si apud ipsum finienda causa est, totum debet agnoscere. Refert. L. 1. C. Th. de Offi. Judic. Commendantur hæc brevius. L. 9. C. de Judic. In Decreto Gratiani placuit idem, vel parile Decretum Pseudo-Eleutherio inscribere. cap. 11. XXX. q. 5.

11 Præcipit Justinianus, ut, si unus litigantium ulterioribus productionibus renuntiaverit, eoquod nihil, aut amplius habeat, quod proponere velit, aut possit, alter vero nondum velit acquiescere, sed moras nectat, eo obtentu, quod habeat, quæ ulterius proponat, tunc Judex ei successive tres menses ad reliquas probationes allegandas præfigat. Quo spatio elapso oportet causam concludi absque expectatione, aut dilatione longiore; ne litigatoribus male certantibus liceat causarum exitum ultra, & in infinitum protrahere. Refert. Auth. jubemus ad L. 9. C. de Judic.

12 Hæc vel spontanea, vel coacta renuntiatio dicitur conclusio in causa, qua partes ab ulteriore causæ instructione, & probationum allegatione conquiescere profitentur, quantum ad ea, quæ factum spectant. Quantum enim ad ea, quæ juris sunt, integrum est litigantibus, & post conclusionem in causa motiva juris exhibere. Judici vero reliquum est, ex officio rescindere conclusionem, ut à partibus exigat ulteriorem causæ instructionem, & elucidationem.

13 Conclusionem causæ facta Judex tenetur se accingere ad totius causæ examen, quo diligenter omnia, & singula à partibus allegata, discuti oportet, non minus unius, quam alterius partis rationes, & fundamenta perscrutando. Juxta S. Ambrosium, bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges, & jura pronuntiat, Statutis juris obtemperat, nihil paratum, & mediatum domo defert: sed, sicut audit, sic judicat, & Ep. Van-Esp. Tom. II.

Cap. 2.
De Qualit.
& Offic. Ju-
dic.

sicut se habet negotii natura, decernit, obsequitur legibus, non adversatur, examinat causæ merita, non mutat. Discite Judices sæculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Extat. c. 4. §. 1. III. quæst. 7.

14 In majoribus Curiis Judex (a) mox à conclusione causæ deligere solet quemquam ex Senatoribus, cui causa examinanda, discutiendaque committitur, ut eam breviter in Senatu exponat, referatque, qui inde Relator dicitur, vel Referendarius.

15 Officium Relatoris est, postquam causam reperit debite instructam, eandem diligenter examinare, atque ex actis litis justa extracta conficere, ut per ea queat cognoscere, & in Senatu ostendere, quæ ad intellectum, & decisionem causæ facere queunt.

16 Facta per Referendarium causæ summaria relatione juxta prædicta extracta, tunc causa integra, priusquam ad decisionem veniatur, in Curia legenda est. Et si aliqua instrumenta sint exhibita, quibus integris pars uti nollet, sed tantum una, vel altera clausula ad causam spectaret; tunc Referendarius tenetur has, illasve clausulas ad materiam facientes designare, ut super iis tanto attentius reflectatur, relicturus Curia arbitrio, ut duntaxat designatæ clausulæ, aut & totum instrumentum recitetur.

17 In Curiis ecclesiasticis non solet esse Relator, sive Referendarius; quia unicus in his solet esse Judex, qui Assessore uti solet, ut causam discutiat, eique referat. Ubi tamen tribunal ecclesiasticum constat pluribus Judicibus, etiam ex illis aliquis Relator, vel Commissarius, qui causam instruit, dirigit, aliisque summarie porrigit, eligitur.

18 Absoluta totius causæ discussione, omniumque allegatorum facta matura consideratione, Judicis est, seposito omni humano respectu, & affectu, solam justitiam præ oculis habendo, serio perpenderè, à qua parte stet justitia causæ. Monebat Josaphat Rex Judæ (b): *Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, cujus ministerio fungimini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit, quia Deo rationes aliquando reddendæ sunt. Si timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

19 Hunc in finem sanxit Justinianus, ut omnes omnino Ju-

(a) De Offic. Relat. (b) 2. Paralip. cap. 19.

Judices non aliter litium primordium acciperent, nisi prius ante sedem judicalem SS. deponantur scripturæ; & hæc permaneant in omnibus cognitionibus usque ad ipsum terminum definitivæ sententiæ. *Sic etenim, inquit, attendentes ad sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex majore præsidio lites diriment, scituri, quod non magis alios judicant, quam ipsi judicantur: cum etiam ipsis magis, quam partibus, terribile judicium est; siquidem litigatores sub hominibus, ipsi autem Deo inspectore adhibito, causas proferunt trutinandas.* Refert. L. 14. C. de Judic.

20 Ut hic conspectus efficacior esset, subjunxit Imperator, ut nullus Judicum susciperet causam, nisi prius Sacramentum præstitisset, omnimodo sese cum veritate, & legum observatione judicium esse dispositurum. *ibi.*

21 Hodie Judices in assumptione officii ad simile juramentum tenentur, cujus fere hæc formula est: *Juro, me curaturum, ut administraretur vera, & sincera justitia subditis meis, aliisque id requirentibus, seposito omni intuitu lucri, odii, invidiæ, aut amicitia cujusquam, nec illi suffragaturum quoquomodo, ultra quod ratio, & justitia permittent.* Hinc subjungitur: *Quod à nullo quocumque demum quidquam petam, aut exigam, neque etiam recipiam, vel admittam, quantumvis etiam ultronec, & ex gratitudine offerretur, aut donaretur; sed quod contentus ero mercede mea, & stipendio convenienti — pro conditione mea prædicta designato. Deinde, quod non permittam, ut ullus curæ meæ, aut imperio commissus, aut, qui mihi assistet, aliter faciat.*

22 Dum vero corruptio, vel dolus Judicis ægrius in foro exteriori probari potest, reipublicæ consultissimum est, eos deligi in Judices (a), qui sint *Viri potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.*

23 In veteri republica, ad electionem digniorum Judicum conciliandam, ambitus, quo publica munera precibus, & pretio sollicitabantur, austera lege vetitus erat. Sub Imperatoribus lex Julia flaccescere, senescereque cœperat. Sub Constantino nundinationes publicorum officiorum invaluerunt, ut obtentus esset, onera Curia recusandi. Huic fraudi Constantius Imp. (b) obviam ivit. Repullularunt venalitate sub Juliano, & Theodosio, quas severissime Arcadius, & Honorius reprimere sategerunt. Sub imperio Leonis Thracis ambitus omni pudore solutus est, eoquod ipse Imperator arderet cupidine, aurum undequaque coacervandi. Post

Bbb 2

tot

(a) Exod. 18. v. 21. (b) Gothofr. ad L. 2. C. Th. si cert. per.

tot ergo fata legis Juliae de ambitus crimine, Justinianus, damnatis nundinationibus publicarum administrationum, iis, qui suscepturi sunt officium, juramentum indixit, nihil penitus, nec quolibet se præbere, neque occasione suffragii, neque patrocinii, & neque promittere, & neque de provincia prostreri dirigere, neque gloriosissimis Præfectis, neque aliis cingula habentibus, neque iis, qui circa illos constituti sunt, nec alteri cuilibet per occasionem patrocinii. Refert. Nov. 8. c. 7.

24 Horum tenor alibi clarius exprimitur, se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quidpiam, neque duros unquam postmodum fore, sive per se, sive per interpositam personam, in fraudem legis, Sacramentique; aut venditionis, donationisve, titulo, aut alio velamento cujuscunque contractus. Sc. Extat. L. 6. C. ad Leg. Jul. Reperund.

25 His exemplis supersunt & hodie alibi binæ juramentorum formulæ, quarum una proluxior, altera brevior est. Hæc omnibus literis patentibus expediendis super provisione officiorum inseritur, quia eas obtinere non licet, nisi indilate pro susceptione, vel renouatione officii juratum fuerit, quod ipse, ut prædictum statum adipisceretur, aut ratione illius, nec pecuniam, nec aliud quidpiam, qualecunque demum cuiquam obtulerit, promiserit, aut dederit, nec offerri, promitti, aut donari curaverit, nec daturus sit cuiquam tandem directe, vel indirecte, nec alio quocunque modo; eo duntaxat excepto, quod pro literarum confectione dari consuetum est.

26 Quid execrabilius, quam quod quidam tam disertos terminos propositi juramenti vel amphibologiis, vel restrictionibus mentalibus eludi, vel restringi posse existiment? Ait S. Isidorus: Quacunque arte verborum quisque jurat, Deus tamen, qui conscientie testis est, ita hoc accipit, sicut iste, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum accipit, & proximum dolo. Apud Gratian. c. 9. XXII. q. 5.

27 Per hæc juramenta constat, munera publica, secluso quouis sequiore obtentu, ex merito danda, administranda esse. Hinc Judex, causa diligenter excussa omnique opera adhibita, ut notitiam veritatis, & justitiæ habere possit, tenetur sine ullo personarum privato affectu, humanoque particulari intuitu, in justitia, & veritate sententiam ferre, neutri litigantium plus favendo, quam ipsa justitia & veritas suffragatur. Inquit S. Ambrosius (a): Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges, & jura pronuntiat,

(a) S. Ambros. in Psal. m. 118.

riat, statutis juris obtemperat, nihil indulget proprie voluntati.

28 Apage proinde illum horrendum, & ab omni justitia alienum casum pro amico, qui Judicem non ministrum, sed dominum, & arbitrum justitiæ constituit. Ab Alexandro VII. damnata est propositio: Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præalio. Alia proscripta est ab Innocentio XI. quæ ita sonat: Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.

29 Absit, quod Judex, tametsi causa sit utrimque dubia, & probabilis, possit uni magis, quam alteri litigantium, privato affectu favere quia ejus est decidere, prout in casu dubio leges præcipiunt; utpote, quod in causa criminali, licet sint tunc probationes adversus accusatum valde urgentes, reus sit absolvendus, non ex peculiari favore Judicis, sed quia leges nolunt, reum præsertim ad pœnam capitalem damnari, nisi probationes sint luce meridiana clariores. In causa civili locus regulæ est, pro possessore esse in dubio pronuntiandum, nisi causa sit favorabilis. Si omnibus attentis, & mature ponderatis, causa adhuc dubia videatur, quin lex quidquam disponat, res controversa dividenda pro ratione dubii est. L. 40. ff. de hered. Instit.

30 In tantis officii periculis monet Ecclesiasticus (a): Noli querere feri Judex, nisi valeas virtute irrumperere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in aequitate tua. Et supra (b): Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

31 Quid iade Judici magis necessarium est, quam humilibus precibus divitiæ sapientiæ auxilium exorare. Inquit Sapiens (c): Da mihi sedium tuarum assistentiam sapientiam — & mitte illam de caelis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud te.

32 Juxta leges civiles Judices, quos cognoscendi, & pronuntiandi necessitas tenet, non subitas, sed deliberatione habita post negotium sententias ponderatas sibi ante ferment. Requiritur ergo, ut Judex, præmissa totius negotii deliberatione, & matura totius causæ discussione sententiam definitivam format. L. 2. C. de Sentent. ex Brevic. recit.

33 Quid ultra? Oportet sententiam ita formatam, in scrip-

Cap. 3.
De Form.
sentent. de-
finit.

(a) Eccles. cap. 7. (b) Cap. 4. (c) Sap. cap. 9.